

Servicium A

Vis ut serviat caro tua anime tue? Deo serviat anima tua; debes regi ut possis regere.

Augustinus super Iohannem.

Servicium B

Cum michi accidit ut me amplius cantus quam res que canitur moveat penaliter me peccare confiteor et tunc malle non audire cantantem.

Augustinus libro 20. confessionum.

Servicium C

Prudenter sibi Deus serviri vult, non ut nimietate sua debiles fiant, et postea medicorum suffragia requirant. Temperandum est enim ut si fieri potest ceptum obsequium provehatur, quam per in consideranciam minuatur, intemperancia enim ipsam animam inquietam facit ut cum de infirmitate sollicita est, non tantum dedita sit divinis serviciis. Damnum ergo affert in providencia, anima enim in tranquillitate posita totum cor extollit ad Deum integro consilio obsecrans que petenda sunt.

Ambrosius super epistolam ad Timotheum super illud: Modico vino utere.

Servicium D

Qui accingi in divino servicio properat, quid aliud quam se contra antiqui adversarii certamen parat, ut liber in certamine ictus suscipiat quietus sub tyrannide in captivitate serviat. Unde cum Deo pax robustior oritur, nobis ab adversariis durior pugna reservatur.

Gregorius in moralis.

Servicium E

Nemo potest in una et eadem re omnipotenti Deo servire atque eius hostibus gratus existere. Nam Deo amicum se denegat qui eius placet inimico

Gregorius in quadam homelia super Ezechielem.

Servicium F

Nonnulli terreno iudici tota die assistere fortes sunt, in oracione vero coram Domino eciam unius hore momento lassantur.

Gregorius in moralibus.

Servicium G

Revelatur servo Dei potestas, mercenario felicitas, filio veritas. Servus dicit: vadam ad portas inferi; mercenarius: non videbo Dominum Deum meum in terra vivencium; filius: Psalmos nostros cantabimus et cetera.

Bernardus in quodam sermone.

Servicium H

Decorem domus non dicit pulchritudinem parietum aut ministrorum preciosissimos apparatus, sed ipsorum actuum beatissimam qualitatem, quibus cuncta gaudet ecclesia, scilicet in Psalmorum iubiliacione, in precum sanctitate, in Christiani populi devocione subiungens glorie, quia ubicumque habitat Deus gloria est, gloriosum efficit quicquid inhabitare dignatur et ab hospitis merito crescit hospitii magnitudo.

Cassiodorus super Psalmum 25.

Servicium I

Quamvis hoc nec a laicis videatur exceptum, spiritualiter tamen sacerdotibus probatur impositum, ut tales ministros habeant qui divinis regulis non repugnent.

Cassiodorus super Psalmum 100.

Servicium K

Deus sustinet ut corrigat, flagellat ut eridiat, probat ut prestat; si fas est ut celum non cooperiat terram potest fieri ut Deus non protegat sibi purissime servientem.

Cassiodorus super Psalmum 102.

Servicium L

Iustum est publicis actionibus personas in serie morum perspicuas ut per obsequia fidelium omnibus crescat utilitatis augmentum.

Cassiodorus libro 3. epistola 25.

Servicium M

Mutant enim quaslibet largitates malorum serviencium manus, quia sicut fontis puritas perlucida corrumpitur sic affluentia boni principis malis distributoribus immutatur.

Cassiodorus libro 5. epistola 11.

Servicium N

Hec est consuetudo vestra, O divites: tamdiu cordi vobis sumus, quamdiu usui ut iniuriam vocetis finem servitutis.

Seneca de sententiis oratorum.

Servicium O

Quamdiu servus prestat quod a servo exigi solet ministerium est, ubi plusquam a servo necesse beneficium est, ubi enim in affectum amici transit, beneficium vocari incipit.

Seneca 3. de beneficiis.